

2331

S Y N O D I C I.

2332

*Fol. 307. Replicationes circa Nonnulla ex Petitionibus Gallorum. Per Pal. Lego Paleottum. Abruptae sunt in verbis: Illustrissimi Cardinalis Boromaei.*

*Fol. 309. Literae Imperatoris ad Legatos Concilij. 1562. quarum initium: Cum superioribus mensibus ad nos transmissi fuissent articuli quidam instituendae reformationis &c. Merita fuissent ejusmodi Documenta majori fortasse jure locum in conciliorum Tomis, quam sacrae illae Orationes, quarum quaedam vix Res Concilij attingunt; interim praesentis Epistolae συνοψιν habes apud Pallavic. P. III. L. 17. c. 5.*

*Demum fol. 313. Postulata ἀκεφαλα Reformationis Disciplinae eccl. et morum, atque eorum postrema Reuerendissimi Bracharenensis, qui fuit Bartholomaeus de Martyribus.*

DCCCCXLI.

R. 15 Codex chartaceus lat. ital. Sec. XVI, Folior. 274. 4. maj. est Pars II. Adversariorum Hier. Card. Seripandi de Concilio Tridentino, cujus praecipua haec sunt: *Fol. 1. Acta varia in Concilio Anni MDLXII. inter quae potiora: Capita XCIII. de Reformatione oblata mihi (Seripando) ab episcopis doctis et piis, videlicet de Ordine sacro, Collatione Beneficiorum, eorum Reditibus &c. atque ex his Articuli XVIII. desumpti et accommodati per Seripandum. Item Epistolae mutuae inter Franc. Torrensem Theol. Pontificis, et*

*Petr. Guerrerum Archiep. Granatens. de verbis in Titulo Concilii: Universalem Ecclesiam repraesentans, quae omittenda ut superflua censebat Torrensis five Turrianus tunc nondum Jesuita, et post varia praecipue cum Hispanis tractata prolixa Differtatio Job. Car. Bovii Bonon. Ep. Austun. five Ostunensis de Residentia Episcoporum.*

*Fol. 43. Actionum Tridentinarum Series a Die XIV. Jun. Anno MDLV. Plus quidem, quam promittat haec inscriptio, quam recitat etiam Felix Ossingerus in Bibl. Ord. p. 841. inter Seripandi Inedita. Est enim Narratio historica ita exorsa: Leo X. quo Pontifice maximo, et pontificatus annum omnino quintum gerente, qui a salute erat MDXVII. auditi sunt a Germania rumores, et liberriores quedam aduersus indulgentias disputationes, satis fore existimavit ad motus illos compefcendos, si eius rei curam omnem Syluestro Prieriati sacri Apostolici Palatij magistro mandaret &c. Seripandi haec esse liquet; sequitur enim mox: Hoc Leonis consilium detexit mihi nondum adolescentiae metas egresso Hieronymus Fulginas Augustinensium procurator generalis, vir plane doctus et prudens, cum una Venetijs' essemus in maximo atque amplissimo illo conuentu, in quo Aegidio Viterbiensi, qui superiore anno creatus a Leone Cardinalis fuerat, Gabriel Venetus (Prior Generalis O. S. Aug.) suffectus est. Fuit is a sal. christi MDXIX. annus. Magna sinceritate*

Mm 3

tate

tate procedit Nostri narratio per *Adrianum VI. Clementem VII. cujus Pontificatu nullum (nihil?) Roma uidet inclementius, ad Paulum III. e cuius ore se audivisse testatur: Tria sibi in toto pontificatu meditanda proposuisse: Pacem inter christianos Reges, Concilium verum generale et oecumenicum, Bellum denique aduersus christiani nominis hostes, cumque Seripandus 70. aetatis annos obtenderet, subiecisse: Satis sibi esse, si aspirante Deo haec tria pia, sanctaque opera inchoaret, quae iuniores alij, robustioresque postea Pontifices perficerent. Hinc expediuntur omnia Pontificis et Principum aliorum Consilia et Acta usque ad an. MDXLV. quo sic Noster: Eram ego Romae et generalis ordinis mei Magister, qua, ut reor, ratione VI. Kal. Aprilis Dominicus Card. Torren. Cardinalium Collegij Decanus me accersivit, iussitque Pauli Pont. nomine, ut Tridentum ad Concilium proficiscerer. Atque deinceps Actionum Series in Titulo praefixa inchoat, in qua praecipua: Seripandi Allocutio de nomine Concilii, Admonitio habita in Sess. I. ab Ang. Masfarello, ut extat T. cit. Conc. Labb. col. 9. hic vero a Seripando tantum recensita, et adscripta Reg. Polo, quem adpellat Virum, cui nihil adeo erat proprium, quam tacere, et non nisi iussum, aut aliqua necessitate astrictum loqui, nihil tam perenne ac familiare, quam pectus pluribus, maximisque rebus complere, et quae taciturnitate ac silentio indignae prorsus es-*

*sent; Bulla Reformationis Pauli, ut hic inscribitur, concepta, non tamen edita; De Gallorum Postulatis Sententia; Decreta Praelatorum Galliae anno MDLXI. mense Octobri; Varia Wittebergae et Poissiaci tractata.*

Fol. 139. Scriptum de Abusibus in Ecclesia ad Caesarem, cuius Titulus illepide atramento inductus est. Ejus Prooemium infit: *Quandoquidem corpus, quod afficitur, curari nequeat, nisi morbi prius detegantur &c.* Caput vero I. ita: *Quamvis, clementissime Caesar! catholica Jesu Christi Ecclesia, cuius nos esse membra merito gaudemus &c.* Exponuntur deinceps singulis Capitibus singulorum in Ecclesia Ordinum vitia ab ignoto Autore, quem fortasse Job. Fabrum, aut Ge. Wicelium habeas.

Fol. 151. resumuntur Acta in Concilio praecipue de Missa, Concessione Calicis, Sacramento Ordinis, allatis non modo Seripandi, sed variorum aliorum Sententiis et Conclusionibus, Acta cum Gallis &c. quorum quaedam T. cit. Concil. impressa leguntur.

Fol. 263. Epistola Card. Caroli Lotharingii Romam scripta Tridento I. Febr. ad Bertonum Procuratorem suum circa Quaestionem de Jure Potestatis episcopalis, et Residentiae Episcoporum, quam summatim exponit Pallavicinus P. III. L. 19. c. 16. n. 6. Est ea partim italico, partim latino fermone; verum e Codice principium excisum est usque ad verba: *Per il manco, io scarico la mia*

*mia coscienza ai piedi di Sua Santità &c. Animo agitato fuisse Cardinalem intelligas: Voi metterete questo in Italiano, et il leggerete a Sua Santità, et al Sgr. Card. Borromeo, ai quali io voglio farmi ben intendere, perche à gl' altri humori, et opinioni si stranie, che io vedo a Roma, io rispondo: Maior est orbis Urbe &c. Et iterum: Io sono Francese, nutrito nell' Università di Parigi, nella quale si tiene l' autorità del Concilio sopra del Papa, e sono censurati come Heretici quelli, che tengono Contrario. In Francia si tiene il Concilio di Costanza per generale in tutte le sue parti. Si seguita quello di Basilea, e si tiene quel di Fiorenza per non legitimo, ne generale. Et perche si faranno più tosto morire i Francesi, che tenere il contrario. Da questo io conchiudo, che io m' inginocchio dinanzi Sua Santità, et la priego per uiscera Misericordie Dei nostri, che per adesso si lascino tutti questi motiui, et queste dispute. Afflittò Regno (Franciae) non est addenda afflictio. Gli Heretici sono già assai offesi. I Catholici sono tutti governati et guidati dai Theologi, che grideranno sin' al cielo &c.*

*Fol. 274. Epistola Christoph. a Jesu Maria, alias Cabrerae ad Card. Seripandum Tridentum data Roma III. Calen. Jul. 1562. Incipit: Hispanus ille Presbyter, pauperque peccator, quem vir integerrimus Protonotarius (Guil.) Sirletus, si meminit tua charitas, ad te misit Romae, — literulas has*

*simul cum hisce paucis capitulis ad te mittere in animum induxit. &c. Confilia Reformationis erant, sed in Exemplo nostro non comparent. Fortassis in Memoriis Seripandi ad Concilium Trid. spectantibus, quas pariter Tomis II. 4. fervari in Medic. Laurentiana refert Ossingerus cit. aut in iis Seripandi Monumentis quae frequenter excitat Card. Pallavicinus, supererunt. Ceterum ad Res Concilii Tridentini penitius inspiciendas haec omnia non levis momenti sunt.*

## DCCCCXLII.

*Codex chartaceus lat. Sec. R. 1083 XVII. Folior. 166. 4. olim Dominus Professorum S. J. Viennensis, inscribitur: Declarationes quorundam Sacrosancti Conc. Trid. decretorum a Cardinalibus Sacrae Congregationis ejusdem Concilij ad diversos Episcopos et Praelatos missae, seu ad alias particulares personas rescriptae, in quibus comprehenduntur nonnullae declarationes pontificum, singulae suis sessionibus et capitibus ordine accommodatae. Laureti est descriptum. 1606. Terminato Concilio Pius IV. agente praecipue Nepote suo Carolo Borromaeo a. 1564. octo Cardinalium Congregationem instituit, quae de dubiis circa Concilii Decreta subnascentibus cognosceret, et ad Pontificem referret. Sub Pio V. et Sixto V. etiam Facultas interpretandi et decidendi eidem adtributa est. Quae vero rerum humanarum conditio est, fuc-*